

sumptio est continere privilegium *ad instar*, et illud additum *prout*, etc., positum esse propter privilegium antecessoris, quod voluit princeps etiam successor concedere, non jure successione, sed gratia æquiparationis, quam ipse princeps facere voluit. Ratio est, quia tunc cessant omnes præsumptiones contrariæ sententiæ, cum illa non sit successio, nec ordinaria dispositio: et aliunde accrescit magna ratio credendi illa verba non fuisse addita superflue, et sine ullo effectu: nullum autem habent si ad privilegium prædecessoris non referantur; ergo non propter aliam causam posita sunt.

12. Augebitur autem maxime hæc conjectura, si addatur secunda de qualitate privilegii. Nam si non contineat præjudicium tertii, sed favorem principis, tunc maxime cavendum est ne verba privilegii inania reddantur. Quando enim privilegium fuerit odiosum, et aliis præjudicium afferens, vel bono communi, tunc major est licentia restringendi verba, etiamsi ex parte non habeant effectum propter aliquam conditionem subintellectam, et non impletam, ut, quod voluerit princeps concedere omnia jura ordinaria et extraordinaria quæ aliis non præjudicant. At vero quando privilegium est simpliciter favorabile, et potest habere justam causam et rationem, dici non potest illa verba esse addita sine ullo effectu, vel intentione principis, et ideo, sicut extraordinaria sunt, ita etiam aliquid ultra jus ordinarium concedunt, quod esse non potest, nisi æquiparatio in privilegio cum antecessore fiat; ergo hoc concedunt, et hoc est privilegium *ad instar*.

CAPUT XVI.

DE COMMUNICATIONE PRIVILEGIORUM, ET EORUM COLLATIONE CUM PRIVILEGIIS AD INSTAR.

1. Alia forma concedendi privilegium esse solet per communicationem privilegii alteri prius concessi, quæ est valde usitata, præsertim in privilegiis religionum, ut constat ex compendiis eorum, et ex his quæ late refert Emman. Roder., 4 tom., q. 55, per totam. Circa quam formam concessionis imprimis clarum est efficaciam ejus in hoc consistere, quod jus uni concessum per aliquod privilegium, alteri etiam conceditur per quamdam extensionem, vel certe per quamdam multiplicationem talis privilegii, ut nomine communicationis significari videtur. Ad intelligendum autem qualis et quanta sit hæc com-

municatio, verba indulti attente pensanda sunt, tum ex parte ejus cui communicatur, tum denique ex parte modi quo communicatur, et in his omnibus fere observandæ sunt generales regulæ de interpretatione, ampliatione, vel restrictione privilegiorum, quæ in superioribus tactæ sunt, et in sequentibus tradentur. Solet autem specialiter quæri an communicatio privilegiorum quæ religionibus aut religiosis concedi solent, intelligatur fieri de privilegiis concessis religionibus ipsis, vel de concessis etiam particularibus domibus, aut personis. Sed in hoc nihil certius dici potest, quam ponderanda esse verba communicationis. Regulare autem est, ut communicari intelligantur privilegia concessa intuitu religionis, seu totius congregationis, juxta declarationem Leonis X, quæ refertur in supplemento Minorum. Aliqua vero sunt specialia privilegia quæ concedunt communicationem in privilegiis, etiam specialium domorum, et hæc ipsa specialia privilegia per alias generales clausulas aliis communicantur, et ita poterunt cum proportionem eodem favore gaudere, ut latius exponit Emman. Roder., 4 tom., quæst. 55, artic. 18.

2. Sed explicare oportet an hæc concessio privilegii per communicationem eadem sit cum concessione privilegii *ad instar*, soloque nomine differant, vel si majorem habent differentiam, quæ illa sit. Aliqui enim hanc differentiam constituunt, quod, per privilegium *ad instar*, non idem, sed distinctum privilegium conceditur, licet simile: nam ipsa similitudo et relatio quam importat particula *ad instar*, hanc distinctionem requirit, ut constat etiam ex Dialectica. At vero per communicationem, non aliud, sed idem privilegium conceditur ei cui communicatur; nam communicatio privilegii non est ejus multiplicatio, sed extensio, et quasi applicatio ejusdem privilegii ad plura subjecta.

3. Hanc differentiam late tractat Mandos. dicto tract. de Privilegiis *ad instar*, quæst. 2, et illam non probat, ac merito; modus quo rem explicat, mihi non placet, quia identitatem privilegii ponit in utroque extremorum, et negat similitudinem inter privilegia, licet illam ponat inter privilegiata. Imprimis ergo ait, per communicationem idem privilegium communicari, quia vis verbi communicandi hoc requirit, et quia tenor concessionis per communicationem est hic, *Concedimus Minoribus, verbi gratia, communicationem privilegiorum quæ habent Prædicatores*, in qua forma

relativum *quæ*, refert substantiam, non accidentia. Item quia leges, quæ communicationem privilegiorum concedunt, plerumque per relativum identitatis illa concedunt, ut ibi late refert. Addit vero idem esse in privilegio *ad instar*, et hoc quidem tollere similitudinem privilegiorum inter se, quia idem non est simile sibi, nihilominus tamen res privilegiatas fieri similes inter se, quia subjecta eandem qualitatem habentia similia sunt. Unde concludit illam identitatem nihil obstare, quominus privilegium communicatum sit privilegium *ad instar*, quia illud relativum *ad instar* non dicit similitudinem inter privilegia, sed inter privilegiata.

4. Sed hoc non in jure est necessarium, nec per analogiam ad philosophiam sustineri potest. Interrogo enim quo sensu dicat, in communicatione privilegiorum, idem privilegium præexistens in uno communicari alteri; aut enim loquitur de identitate specifica, vel numerica. De numerica dici non potest, tum quia idem numero privilegium non potest simul esse in diversis subjectis, et æque primo in singulis; privilegium autem communicatum tam proprie et per se convenit ei cui communicatur, ac prius erat in altero, sicut dictum est de privilegio *ad instar*; tum etiam quia tale privilegium durat in eo cui communicatur, etiamsi in altero in quo prius erat, amittatur, ut statim dicemus; tum denique quia argumenta quæ pro hac identitate fiunt, ad summum probant specificam identitatem. Si autem de hac tantum sit sermo, cum illa identitate stat perfecta similitudo non solum inter privilegiatos, sed etiam inter privilegia ipsa, ut constat de quacumque identitate specifica inter qualitates, et ratione earum inter qualia, quatenus talia sunt. Ergo immerito dicit ille auctor, per communicationem et per privilegium *ad instar*, concedi eadem privilegia, non autem similia: nam quæ illo modo sunt eadem, etiam similia sunt; sicut ergo privilegium *ad instar* non excludit identitatem, ita non excludit similitudinem.

5. Particula *ad instar* semper refertur privilegia ipsa inter se, et non tantum personas privilegiatas.—Neque est verum particulam *ad instar* non semper referre privilegia inter se, sed tantum personas privilegiatas: nam potius privilegium *ad instar* dicitur tale propter habitudinem ad aliud privilegium, quod imitatur; ergo talia privilegia etiam sunt numero distincta, et unum est quasi exemplar alterius, et hoc est *ad instar* illius, ut ex supra

dictis patet. Nec potest intelligi, quomodo privilegium detur uni *ad instar* alterius rei, vel personæ, nisi illa sumatur formaliter ut affecta tali privilegio, ut, in l. *Omnia*, c. de Sacros. Eccl., cum hospitalibus conceduntur privilegia *ad instar* Ecclesiæ primariæ, sine dubio intelligitur supponi Ecclesiæ ut talibus privilegiis affecta, et ita non solum hospitale fieri simile Ecclesiæ, sed etiam privilegium hospitalis effici simile privilegio Ecclesiæ; imo non aliter subjectum fit simile alteri, nisi efficiendo in eo formam, quæ sit similis formæ alterius. Per hoc ergo nulla differentia inter hæc privilegia explicatur.

6. *Privilegium ad instar dicere similitudinem non perfectam, sed ad imitationem; communicationem autem privilegii dicere exactam, sentiunt aliqui.*—Posset vero ulterius addi privilegium *ad instar* dicere similitudinem, non tamen perfectam et exactam, sed per quamdam imitationem; communicationem autem privilegii dicere integram et totalem concessionem privilegii, et ideo dici potius identitatem, quam similitudinem, potestque hæc differentia confirmari ex quadam formula concedendi hanc communicationem, quam specialiter invenio in quadam Bulla Pii V, Societati nostræ concessa, cujus verba sunt: *Possint libere et licite uti, frui, potiri et gaudere* (scilicet, privilegiis aliarum religionum) *in omnibus, et per omnia, non solum ad illorum instar, sed pariformiter, et æque principaliter, absque ulla prorsus differentia, proinde ac si Societati, etc., nominatim, et specialiter, ac generaliter concessa fuissent.* Quæ verba supponunt privilegium *ad instar* non esse pariforme suo exemplari, nec esse tam amplum, sicut privilegium per communicationem concessum, nec ejusdem rationis cum illo. Et confirmatur, quia privilegium communicatum est verum privilegium; privilegium autem *ad instar*, comparatione alterius, est quasi fictum fictione juris. Unde Bald. ait civem *ad instar*, seu ex privilegio, non esse legitimum et verum civem, sed similitudinarium: *Omnis autem similitudo* (inquit) *est quoddam signum rei, et non proprietas ipsa;* citat l. *Sed si accepto*, ff. de Jure fisci.

7. *Oppugnatur prædictus modus dicendi.*—Verumtamen hic etiam modus dicendi non placet. Primo, quia dictum est privilegium *ad instar*, absolute concessum, extendi ad omnia ad quæ suum exemplar extenditur, atque adeo de se dicere imitationem perfectam, et non tantum adumbratam, vel fictam, cujus oppo-

situm in hac differentia supponitur sine sufficienti fundamento, ut patebit, cum tamen illud efficaciter videatur probatum ratione supra facta, quod alias incerta esset et fere inutilis concessio privilegii *ad instar* absolute et sine alia explicatione. Quod si dicatur privilegium *ad instar*, licet interdum sit perfectum, posset interdum salvari cum imperfecta imitatione, contra hoc est, quia illud solum habet locum quando in privilegio explicatur. Hoc autem modo etiam communicatio potest esse imperfecta, et solum per quamdam participationem. Quod si communicatio privilegii absolute facta, et sine limitatione, intelligitur de adæquata communicatione totius privilegii, etiamsi expresse hæc adæquatio non explicetur, quia non est ulla ratio addendi limitationem, quia si hæc licentia daretur, tota concessio esset incerta et ambigua; ita etiam dicendum est de privilegio *ad instar*, propter eandem rationem; ergo in hoc potius æquiparantur quam differant: nam absolute facta utraque est perfecta concessio: per additionem vero et expressam concedentis voluntatem utraque potest limitari, et tantum ex parte vel per imitationem imperfectam fieri.

8. Unde etiam constat non recte adduci verba illa Pii V ad differentiam prædictam confirmandam. Nam sicut ex illis verbis videtur colligi privilegium *ad instar* posse esse inæquale, et secundum quid, ita etiam colligi poterit communicationem privilegii non esse pariformem, neque æque principalem, neque absque ulla differentia, nisi hæc expresse declaretur in privilegio, quia cum hæc particulæ expresse addantur, insinuat sine illis non esse ita adæquatam communicationem. Quod si hoc falsum est, ut videtur probatum, dicendum necessario erit illud non colligi ex additione illarum particularum, quia non semper adduntur propter novum effectum, sed propter majorem explicationem ejusdem effectus, et ad tollendam omnem tergiversationem, et umbram eludendi privilegium. Imo etiam interdum multiplicantur hujusmodi verba ad explicandum magnum affectum concedentis, ut patet de illis, *Uti, frui, potiri et gaudere, et in omnibus et per omnia*. Idem autem dicendum erit de prædictis verbis respectu privilegii *ad instar*, ut exposuit Mandos., dicta q. 2, n. 13, ubi ipse refert alias privilegiorum formulas quæ habent, *non ad instar, sed pariformiter*, et miratur quomodo illa negatio cum adversativa conjunctione ponatur, ac si illud non esset privilegium ad

instar, vel ac si esse ad *instar* et esse pariformiter essent opposita. In prædicta autem Bulla non legitur absolute *non ad instar, sed non solum ad instar*, quæ verba faciliorem habent explicationem: nam quia privilegium *ad instar* latitudinem habere potest, et obscuritatem, vel tergiversationem, si solum ponatur, ideo ait Pontifex, concedere se privilegia dicta non solum *ad instar*, sed etiam cum omni proprietate et exaggeratione, ut magis statim declarabimus.

9. *Notanda de privilegio ad instar et per communicationem.*— Quapropter tam de privilegio *ad instar* quam de privilegio per communicationem distinctio aliqua præmittenda est, ut proprie et univoce fiat comparatio. Primo, ergo duobus modis intelligi potest privilegium esse *ad instar*; primo *ad instar* alterius conditionis, seu proprietatis, quæ in exemplari non est ex privilegio, sed ex naturali origine, vel ex antiquo aut ordinario jure. Secundo, potest privilegium esse *ad instar* alterius privilegii, vel privilegiati, quoad jus quod ex speciali privilegio habet. Priori modo est verum, quod in quadam confirmatione supra sumebatur, privilegium *ad instar* non constituit aliquid vere tale quale est suum exemplar, sed fictione juris: sic enim privilegium legitimationis dici potest *ad instar* legitimorum filiorum, non tamen facit vere et realiter legitimum filium, sed fictione juris. Et sic etiam procedit quod dicebat Bald., civem ex privilegio non esse legitimum et naturalem civem, sed *instar* ejus, secundum quamdam similitudinariam rationem. Sicut etiam dicere solemus privilegium nobilis non facere vere et naturaliter nobilem, sed civiliter, fictione juris. Et cum eadem limitatione accipiendum est quod idem ait, omnem similitudinem esse figmentum rei, et non proprietatem: est enim verum de hac similitudine legali (ut sic dicam) respectu rei naturalis; nam alioqui perfecta et naturalis similitudo in veritate et proprietate consistit; imo, si proprietas in utroque extremo legalis sit, potest similitudo esse omnino propria, et non tantum analogæ, ut jam dicam. Posteriori autem modo nos hactenus locuti sumus de privilegio *ad instar*, nimirum, quod datum est *instar* alterius privilegii, seu, quod idem est, ad imitationem effectuum et proprietatum quæ in alio sunt, etiam ex privilegio; nam hoc modo loquuntur jura de privilegio *ad instar*, et hic est communis usus talis vocis; nam prius non solet vocari privilegium *ad instar*, sed directum, et (ut ita

dicam) primarium, licet effectus ejus possit dici esse *ad instar* alterius effectus naturalis, secundum analogiam et fictionem juris. Hoc ergo privilegium *ad instar* non est fictum, sed verum, nec inducit aliquid per juris fictionem, sed vere et proprie concedit quicquid aliud privilegium, quod est veluti exemplarium, concedit, et ita inducit similitudinem in privilegiis omnino propriam, et absque aliquo figmento.

10. *Resolutio auctoris.*— Juxta hanc ergo distinctionem, dicendum est privilegium proprie dictum *ad instar*, utique alterius proprii privilegii, non distingui a propria communicatione privilegii, et hoc recte probari rationibus factis. Privilegium autem vocatum *ad instar* propter solam imitationem alterius juris ordinarii et quasi connaturalis fundati in proprietate originaria, seu naturali, illud merito distingui a privilegio per communicationem, quia ibi non fit revera communicatio privilegii, sed conceditur per privilegium quod alteri convenit sine illo, vel si convenit ex privilegio, illud est jam factum quasi connaturale propter antiquitatem originis, ut in nobilitate originaria, vel in jure civitatis ex antiquo domicilio, et similibus. Et fortasse Pius V, in prædicta Bulla quæ incipit *Dum indefesse*, ideo tam accurate declaravit illam communicationem privilegiorum ordinum Mendicantium factam Societati, non esse tantum *ad instar*, quia in illa declaraverat religionem Societatis Jesu mendicantem esse; et ideo, ne quis putaret esse mendicantem solum ex privilegio et fictione juris, et ideo concedi illi mendicantium privilegia, solum *ad instar* veterarum mendicantium religionum, ideo expressit concedere se talia privilegia Societati pariformiter, et æque principaliter, absque ulla prorsus differentia, quia nimirum inter verum, et fictum fictione juris, semper relinquitur aliqua differentia; Societas autem non fictione juris, sed vere religio mendicans est, et ideo æque principaliter et sine ulla differentia illi communicantur privilegia.

11. Denique oportet alteram distinctionem adhibere ex parte communicationis privilegiorum; duobus enim modis fieri contingit. Primo, ut privilegium uni tantum per se et propter se concedatur, ab illo autem quasi redundet et derivetur ad alios, propter connexionem quam habent cum illo primo, ita ut non in propriis personis censeatur illis concessum privilegium, sed in alio. Sic privilegia religionis alicujus interdum communicantur fa-

miliaribus, non ratione sui, sed ratione religionis, a qua omnino pendent in illorum usu et fructu. Secundo, privilegium uni corpori vel personæ concessum communicatur alteri proprie et æqualiter, ita ut ex propria persona illo uti possit, non minus quam prior poterat, vel quam ipsa posset, si primo et per se fuisset communicatum ei privilegium. Et hoc modo communicatio privilegiorum ordinarie fit inter religiones per indulta Pontificum, ut constat in Societate, et Bulla citata, et ex alia Gregor. XIII *Ascendente Domino*; et idem est in aliis religionibus, ut constat ex compendiis verbo *Communicatio*, et refert late Emm. Rod., 1 tom., quæst. 55, præsertim art. 21, cum Cord. in addit. ad Compend. verb. *Communicatio*, in fine.

12. Privilegium ergo communicatum priori modo alicui tanquam accessorio ratione principalis, non potest dici privilegium *ad instar*, proprie sumptum, ut de illo in superiori puncto locuti sumus: quia non est ibi concessio unius privilegii *ad instar* alterius, sed est extensio quædam ejusdem privilegii. Unde ibi locum habet ratio tacta supra, quod ibi non est privilegiorum similitudo, nec relatio, aut æquiparatio unius ad aliud, sed est idem privilegium non tantum specie, sed etiam numero, quod uni primo, et alteri, ratione illius primi, communicatur. Unde fit etiam ut inter ea duo membra quæ illo privilegio gaudent, non sit æqualitas; nam semper accessorium pendet a principali, et si principale illud renuntiet, aut alio modo illud amittat, consequenter illud etiam perdet accessorium. Ut si religio amittat privilegium, consequenter donati vel servientes intra domos viventes illorum fructu privantur, non vero e contrario: nam licet privilegium perdat quoad accessorium seu familiares, non amittetur quoad religionem, quia accessorium sequitur principale, et ab eo pendet, non e contrario. Et eadem ratione, licet illi quibus secundo communicatur privilegium, illo gaudeant, et uti possint contra alios, non vero contra illum ratione cujus illud participant, ne quod in favorem ipsorum recipiunt, in eorum gravamen et odium convertatur, ut recte docent Cord. et Emman. Roder. supra, loquentes de privilegiis religionum, quatenus servientibus communicantur. Et generalius idem docet Panorm. in c. *Ex parte*, 15, de For. compet., num. 14, dicens, qui privilegio utitur jure alterius, non posse illo uti contra eum ratione cujus illo gaudet;

quod etiam affirmat Bart. in l. *Donationes*, 26, c. de Donat. inter vir. et uxor. ex l. *Si iudex*, 14, ff. de Minor., quæ non in propriis terminis, sed per quamdam particularem rationem induci potest. Denique in hoc quodammodo æquiparatur privilegium sic communicatum privilegio *ad instar*, improprie dicto, propter imitationem impropriam quam facit per fictionem juris: sic enim hoc privilegium dum extenditur ad familiares religionis, verbi gratia, æstimare illos videtur tanquam religiosos fictione juris, vel per quamdam habitudinem et analogiam.

13. *Illatio contra dicta.* — Dicit vero aliquis: ergo privilegia concessa religioni, ut sic, quatenus communicantur singulis religionis divisim ac personaliter, erunt privilegia per communicationem, non per directam concessionem, quia non ratione sui, sed ratione totius corporis singula membra religiosa illis privilegiis gaudent, et in eis a corpore dependent; nam si corpus religionis illis privetur, vel illa renuntiet, vel amittat, omnes et singuli religiosi illis carebunt; non vero e contrario. Religio etiam uti poterit tali privilegio contra suum religiosum, non tamen e contrario; ergo est illud privilegium per communicationem imperfectam et similitudinariam, etiam respectu religiosorum: consequens autem videtur absurdum, et alienum a modo loquendi omnium de hujusmodi privilegiis.

14. *Responsio.* — Respondeo talia privilegia respectu religiosorum, non esse per communicationem proprie loquendo, sed per concessionem primariam et directam. Quia, quando privilegia religionis talia sunt ut pro singulis religionis, et ad personalem usum conferantur, primo ac per se conceduntur ipsis personis religiosi: nam licet videantur concedi singulis ratione totius, etiam conceduntur corpori mediantibus membris secundum diversa genera causarum. Nam si respiciamus rationem motivam, illa videtur esse favor religionis, et hoc modo conceditur membris propter totum; tamen si spectemus immediatum subjectum cui fit favor privilegii, illud est unaquæque persona religiosa, nec conceditur corpori, nisi quatenus omnibus et singulis membris datur, quia actiones vel effectus propter quos datur privilegium ad singulos spectant, non ad corpus ut tale est, ut supponimus. Et in hoc est magna differentia inter ipsos religiosos, et alios qui quasi extrinsece adhærent religioni. Et ideo etiam non potest dici

tale privilegium secundum hunc respectum esse *ad instar*, aut secundum fictionem aliquam, neque secundum propriam dependentiam, nisi fortasse quatenus partes pendent aliquo modo a toto, et e contrario. Dixi autem respectu religiosorum, utique jam professorum, quia respectu novitiorum dici potest hæc communicatio secundum aliquam fictionem et extensionem, et ideo ut talia privilegia conveniant religionis, non est necessaria specialis expressio aut declaratio, sed satis est quod religioni concedantur; ut vero complectantur novitios, necessaria erit expressa verborum forma, et ita observat usus, et multo magis est necessaria, ut ad familiares extendatur. Unde etiam in his solent requiri speciales conditiones, ut, verbi gratia, quod actu serviant, intra monasteria habeant, etc.; in religionis autem sola professio sufficit, ut notari potest in Trident., sess. 24, c. 11 de Reform.

15. *Quodnam sit proprium privilegium per communicationem simpliciter? In re nil differens a privilegio ad instar proprie sumpto.* — At vero privilegium quod uni prius concessum est, et postea communicatur alteri in propria persona, ita ut fiat illius proprium, non minus quam si tali personæ vel rei fuisset primario concessum, illud est proprium privilegium per communicationem simpliciter, et in re nihil differt a privilegio *ad instar*, proprie sumpto, quale supra explicatum est. Ita tandem concludit Mand. supra, et idem sentiunt Cord. et Emman. Roder., licet terminis quæstionem non tractent. Et probabitur facile declarando vim et efficaciam hujus communicationis. Primo enim hæc communicatio est veluti concessio privilegii, quia illi, cui privilegium communicatur, novum privilegium conceditur, quod antea non habebat, et licet antea illud privilegium in specie esset in alio, non tamen erat in tali re vel persona; ergo quoad hanc individuationem, ut sic dicam, quasi de novo fit: unde communicatio illa etiam dici potest multiplicatio numerica ejusdem privilegii, ut supra declaratum est. Deinde, cum dicitur hoc privilegium communicari, nihil aliud per hoc significatur, nisi quod privilegium, ut receptum in eo cui communicatur, sit ejusdem rationis cum illo, quod communicatur; hoc autem ideo est, quia fit *ad instar* et similitudinem illius; est ergo illud privilegium *ad instar*, et quod per hanc vocem significatur quasi in actu signato, per verbum communicationis significatur in actu exercito; res autem eadem est.

16. *Proprietates supra declaratæ in privilegio ad instar, locum habent in privilegiis communicatis absoluto et perfecto modo.* — Præterea (quod ad rem moralem præcipue spectat), hinc fit ut proprietates supra declaratæ in privilegio *ad instar*, in privilegiis communicatis absoluto et perfecto modo locum habeant. Nam per communicationem hanc ita fit proprium privilegium in eo cui communicatur, ut mutatio in uno facta non necessario fiat in altero, nec e converso, sive illa sit per modum augmenti, sive per modum diminutionis aut corruptionis. Ratio est, quia communicatio privilegii seu privilegiorum, si nihil aliud addatur, intelligitur fieri de privilegiis concessis, vel secundum mensuram concessionis jam factæ, quia vel verbum *communicandi* regulariter cadit super verbum de præterito, quod ad futurum de se non extenditur, ut dicendo: *Communicamus huic hospitali privilegia concessa tali hospitali*: vel licet non addatur verbum *concessa*, sed simpliciter dicatur, tale hospitale gaudeat privilegiis talis Ecclesiæ, intelligitur de concessis, quia non sunt eo tempore privilegia talis Ecclesiæ, nisi quæ illi concessa sunt. Et ideo ubi princeps vult largiorem facere communicationem, addit specialia verba quibus expresse declarat, non tantum communicare privilegia concessa, sed etiam concedenda, sicut fecit Pius V in dicta Bulla, et similes sunt plures in compendio, verb. *Communicatio*, et ita quoad hoc idem omnino sentiendum est de privilegio per communicationem, et ad instar. Et ita sentit Mandos. dicto tract., Gloss. 14, ubi ita interpretatur quamdam privilegiorum communicationem Societati factam a Pio V, in Bulla *Æquum reputamus*, anni 1565; et ideo putat communicationem privilegiorum Societati factam a Pio V non extendi ad privilegia concedenda, nisi per aliam communicationem quasi reflexam, seu in quantum illi communicantur privilegia aliarum religionum in quibus illa extensio continetur. Sed licet hoc sit probabile, attento solo tenore illius Bullæ, nihilominus est alia Bulla ejusdem Pii V *Cum indefessæ* (quam ille auctor sine dubio non vidit, quia fortasse ante illam editam tractatum illum composuit, nam fuit post sex annos a superiori edita), in qua expressis verbis communicantur Societati privilegia concessa et concedenda. Hæc ergo clausula, vel alia æquivalens necessaria est ad illam extensionem, quæ solet etiam addi in privilegio *ad instar*, ut constat ex l. *Omnia*, c. de Episcop. et cler., et

ita in hoc non est differentia inter hæc privilegia.

17. *Mutatio privilegii respectu ejus cui primo fuit datum, non mutat respectu illius cui posterius.* — Simili modo dicendum est de mutatione privilegii communicati quoad diminutionem vel amissionem, quia licet privilegium minuat vel amittatur, sive per revocationem, sive per non usum, sive quocumque alio modo, in eo cui prius directe concessum fuit, inde nulla resultat mutatio in eo cui postea fuit communicatum, quia hæc posterior concessio non pendet a prima, quia non conceditur posteriori tanquam accessorio, seu connexo cum priori, sed per se ac directe, ex propria, et in propria persona, solumque inter illas concessionem antecessio temporis, et quædam multiplicatio; ideoque mutatio in uno facta non potest alteri nocere. Atque ita tradit Panormitan. in cap. *Cum accessissent*, de Constit., et cum illo Sylvest., verb. *Privilegium*, quæst. 11, in fin.; Mandos., supra, q. 6; Roder., tom. 1, quæst. 55, art. 19, ubi in hoc sensu ait per communicationem privilegii dari jus utendi illo, non tamen communicari usum vel non usum ejus cui prius tale privilegium datum est. Quod vere dictum est, et idem dici potest de quacumque renuntiatione privilegii, vel causa ab uno data ad illius amissionem; nam in his non est facta communicatio. In his ergo non invenitur differentia inter privilegium per communicationem et *ad instar*, nec etiam in aliis quæ supra notata sunt.

CAPUT XVII.

UTRUM COMMUNICATO PRIVILEGIO ETIAM RESTRICTIO EJUS COMMUNICETUR.

1. Occurrit tamen, in hac æquiparatione, specialiter inquirendum an privilegium alicui concessum cum certa restrictione, et postea communicatum alteri, intelligatur communicatum cum eadem restrictione, etiamsi illa non exprimat, sed absolute dicatur communicari huic privilegium quod alter habet. Nam videtur ex dictis sequi pars affirmans, primo, per argumentum a contrario, quia illa restrictio non supervenit communicationi, sed supponitur in prima concessione: sed restrictio quæ supervenit post communicationem, non extenditur ad talem communicationem; ergo oppositum dicendum videtur in restrictione quæ præcedit. Item illa restrictio necessario transit ad privilegium *ad instar*; ergo etiam